



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. vj. An, & quomodo ad actionem requiratur indistantia passi &
agentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

fit aliquid ulterius producere; lumen enim adeo fit debile, ut per accidens non sit actuum ex defectu magnitudinis requisitæ; in quolibet enim agente naturali certa quadam requiritur perfectio. Sic vivens ut possit generare simile, determinatam perfectionem exigit, quæ non competit viventi in quocunque sit statu. Eodem modo si rei non viventi desit talis perfectio, non poterit agere. Lumen ergo quod est in ultima parte sphaeræ activitatis, ideo nihil ulterius potest producere, quia est ita exiguum, ut non habeat debitam perfectionem ad agendum; ideoque terminatur ibi sphaera activitatis.

Obicitur secundò. Lucerna octo habens gradus lucis potest producere alios octo gradus lucis; & illi alios octo: ergo non habet terminum suæ activitatis. Probo antecedens; nam agens debet sibi perfecte assimilare passum, ut patet in formis substantialibus, quæ generant formas sibi similes: ergo lucerna octo habens gradus lucis, totidem gradus producit.

Respondeo experientiâ constare, quod nulla qualitas productiva est alterius qualitatis in eodem gradu intensiōis; si enim habeat octo gradus, non producit nisi septem, vel sex. Contrarium experitur in formis substantialibus, quæ non suscipiunt magis & minus, ut qualitates: non ergo possunt producere simile in specie, quin producant omnino simile.

SECTIO V.

*An, & quomodo ad actionem requiratur
indistantia passi & agentis.*

Certum est primò, contactum alium esse quantitativum, alium contactum virtutis. Contactus quantitativus ille est secundum quem duorum quantorum extrema sunt simul, ut cum alicuius manum manu apprehendimus; vocaturque hic contactus *suppositi*, quando scilicet duo supposita materialia se tangunt. Contactus, seu immediatio virtutis est quando aliquid tangit aliud, non per se, sed mediante virtute aliqua diffusa per totum spatium; ut quando ignis manum calefacit remotam mediante aëre, quem calefacit.

Certum est secundò, questionem hoc loco non esse, utrum ad actionem requiratur immediatio suppositi; sol enim distans terras revera illuminat. Sed queritur, utrum ad actionem requiratur contactus virtutis; ita ut in passum distans nihil possit agere, nisi agendo in toto medio. Primò enim dubium est, utrum illud sit possibile naturaliter: secundò utrum illud sit possibile divinitus.

S. I.

Sitne possibilis naturaliter actio in distans.

Dupliciter cogitari potest, dari actionem in passum distans. Primò ita ut agens in passu distanti producat aliquid, nihil omnino producendo in toto medio, v. g. cum magnes ferrum trahit à se remotum, non trahendo tamen medium. Secundò ita ut agens in passu distanti producat aliquid, producendo illud etiam in toto medio.

Dico primò, posse omnino agens per seipsum agere in passum distans continuando actionem per totum medium, quamvis aliquando etiam cum eo medium ipsum concurrat.

Ratio est manifesta, quia certum est, species im-

pressas immediatè produci ab obiecto solo; vnam autem speciem non produci ab alia specie, alioqui viderentur obiecta extra lineam rectam: ergo albedo quæ remota est ab oculo, agit in oculum distantem. Deinde quando in speculo concauo per actionem reflexam lumen producitur intensius quàm in aëre, certum est quod lux solis immediatè producit maius illud lumen. Deinde si solum lumen productum in aëre causeret lumen in terra productum, deberet produci æqualiter lumen illud in omnem partem; quod tamen esse falsum experientia convincit; cum enim sol illuminat per fenestram aërem sibi oppositum, partes aëris quæ sunt ad latus, multò minus illuminantur: cuius rei sola ratio est, quia sol in partibus spatij directè oppositis producit lumen; non autem in partibus extra lineam rectam constitutis, eo quod corpus lucidum non agat nisi per lineam rectam. Tunc igitur immediatè ipse sol agit in spatio distanti, quamvis lumen illud producat etiam à lumine quod in aëre vicino productum est; sol enim immediatè non agit extra lineam rectam. Idem etiam in igne patet; si enim os fornacis occludatur, multò minor sentietur calor quàm antè.

Dico secundò, nullum agens creatum ita posse agere in passum distans, ut eius actio non continuetur per medium. Consentiant in hoc Theologi ferè omnes, & Philosophi, quos dabit Suarez *disput. 18. sect. 8.*

Primò autem probant à posteriori, quia constat experientiâ, quod quoties agens non potest agere in spatio intermedio, toties agere non potest in passum distans; sol enim interposito corpore opaco non illuminat; ignis pariete interposito non calefacit; species visibiles non perveniunt ad oculum, si medium non possit eas recipere; si autem posset actio fieri ad passum distans, neque deberet necessariò diffundi per totum medium; incapacitas enim medijs ad recipiendam actionem agentis non debet illam prohibere, si medium non debet necessariò illam recipere: ergo actio agentis recipi necessariò debet in toto medio. Quod autem dixi de sole, igne, obiectis visibilibus, verum etiam est de magnetè; nam tamen si medium ab eo non trahatur ex defectu sympathiæ, propagatur tamen actio eius per medium; si enim interponatur paries, non trahitur ferrum, quod etiam dicitur non trahi si alia fuerint intermedia: ergo magnes etiam in distans non agit.

Deinde argumentor, quia ut agens producat in passu effectum suum, necesse est ut præsentem faciat illi virtutem suam; non enim ager in passu si virtus eius non fuerit illi præsens: sed non potest virtutem suam facere præsentem passu, nisi eam transmittendo per medium, alioqui posset etiam vnum corpus transire ab vno loco in alium locum, non transendo per medium: ergo nullum agens potest naturaliter agere in distans.

Obicitur primò. Nullum est ens corporeum, quod aliquas partes non habeat viciniore passu, alias remotiores; v. g. in globo ferreo superficies vicinior est ligno quod inflammatur, quàm partes eius interiores. Vel igitur sola superficies vrit lignum, vel etiam intimæ partes agunt in lignum. Primum dici non potest, quia velocius vrit lignum, si grandior fuerit globus. Si dicatur secundum, ergo datur actio in distans, quod probo. Partes interiores globi non possunt agere in toto medio, quin agant in partes globi exteriores: sed non agunt in superficiem, & in partes exteriores globi, alioqui simile ageret in simile; partes enim extrema

extimæ calorem habent æqualem cum intimis : A
ergo illæ partes intimæ agunt in distans.

Resp. tunc dici actionem fieri in distans , quan-
do agens agit in passum nihil producendo in toto
medio ; non autem quando agens partiale agit in
passum distans non agendo in agens partiale , cum
quo ipsum constituit vnum agens totale ; ideo-
que nullam esse actionem in distans quando inte-
riores partes globi ignei agunt in lignum distans ,
non producendo aliquid in partibus exterioribus ,
cum quibus vnum constituunt agens totale.

Ad argumentum igitur concedo partes intimas
globi non posse agere in partes extimas ; sed illas
tamen omnes agere in lignum sine actione in di-
stans , quia illæ omnes vnum constituunt agens
totale , & actione communis agunt , ita ut actio tota
sit à singulis simul concurrentibus : partes igitur
intimæ agunt cum propinquieribus , non in par-
tes propinquieres.

Obiicitur secundò , variis experimentis probari
posse actionem in distans.

Prima sit ipsius imaginationis , quæ multiplici-
ter conuincitur agere in distans ; illa enim est si-
ne dubio in capite , & tamen agit in cor , quod di-
latatur vel comprimitur ex variis imaginationis
operationibus. Est autem omnino mirabile (quod
tamen certum est ac vulgare ;) fœtus enim in ma-
tris utero existens earum rerum consignatur ima-
ginibus , quas imaginatio grauidæ mulieris vehe-
mentius apprehenderit. Tunc ergo si hoc causat
imaginatio , causas hand dubie in distans.

Secunda sit vetularum , quarum aspectu dicun-
tur fascinari sepe pueri.

Tertia torpedinis , quæ manum stupefacit pesca-
toris nihil producendo in arundine intermedia.

Quarta echeneidis , per quam retinentur ingen-
tes naues sine retentione aquæ.

Quinta magnetis , à quo ferrum trahitur , corpo-
ra intermedia non trahuntur.

Sexta , præsentis homicidæ sanguis exit è cada-
uere hominis occisi , quamuis non tangatur.

Septima , in cithara , si vnisona tangatur fides ,
mouetur in altera cithara fides item vnisona sine
motu aëris intermedij ; alioqui sonarent aliæ
item eiusdem citharæ fides.

Octaua , struthiocamelus solo aspectu fouet oua ,
& pullos excludit.

Resp. negando dari actionem in distans in om-
nibus illis casibus.

Ad primam enim de imaginatione , nego illam
effectiue agere in alia membra corporis , vel in alias
facultates animæ ; non enim agit nisi obiectiue ,
cum scilicet ab ea proponitur appetitui obiectum
bonum aut malum , appetitus deinde imperat aliis
potentiis : non est ergo hic actio vlla vnus po-
tentia in aliam ; sed tantum propter sympathiam ,
& radicationem in eadem anima ; vt vnâ vel im-
perante , vel agente agat etiam altera . De notis
quas in utero grauidæ matris pueri recipiunt , quæ-
ri solet in libris de anima ; sed certe quærentium
fatigatur animus , & nihil prorsus meditantium , in
quo acquiescere tuto possit . Inquiremus & nos
cum aliis tractum 5. & nihil dicentes certum , dice-
re certe aliquid conabimur , quod non sit prorsus
improbabile . Nunc satis est totum hoc miraculum
peragi per sympathiam , non autem per actionem
vllam in distans.

Ad secundam de fascinatione puerorum à vetu-
lis , multa responderi possunt , in quibus nulla in-
teruenit actio in distans . Primò enim ex earum
oculis exire possunt spiritus maligni , qui vbi tene-
R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

Fascinatio
per oculos.

Imaginatio.

Obiecto expe-
rientia.

ra puerorum substantiæ adhæserint , immutant il-
lam , & inficiunt halitu pestifero . Deinde illarum
quoque putrida respiratio aërem inquinare potest ,
quem puer vbi ore biberit , hausit simul luem &
morbum . Imò truces sæpe oculos , & luridum ru-
gularum anuum colorem , vbi pueriles videre oculi ,
perturbatur tener animus , & spasmodum ac morbum
imprimit corpori . Denique veriùs fortasse dixeris ,
& certius , non esse hoc certum , quod satis dubie
solet affirmari .

Ad tertiam de torpedine , non est difficile dicere
quod ab ea immittitur torpida qualitas per me-
dium totum vsque ad manum piscatoris ; sed non
stupefieri tamen medium , quod est incapax tor-
poris .

Ad quartam de echeneide nihil habet difficul-
tatis quod obiicitur , quia illa naues non sistit , nisi
eis adhæserit . Sed sanè ingenis miraculum est , &
omnibus maius ingenis echeneis piscis exiguus ,
à quo ingentia sisti nauigia testantur ex nostris
Ambrosius & Basilius ; ex Ethnicis Plutarchus , &
Plinius lib. 31. c. 1. *Echeneis* (inquit) *ruam licet
uenti , & saniam procelle , imperat furari , tantasque
compestis vires , & cogit stare nauigium , quod non
vincula , non anchora vlla pondere irruocabili iactet ,*
&c. narratque postmodum Actiaco marte tenuisse
huiusmodi pisciculum Pratoriam Antonij nauem
properantis circumire , ac exhortari suos , donec
transiret in aliam ; ideoque Casarianam classem
impetu maiore protinus venisse . Aliam irem Cali-
gulæ nauim maximam detentam esse in medio
maris , narrant præter Plinium Dio & Suetonius ;
sed esse tamen hoc valde dubium probabiliter alij
plures censent , Delrio lib. 1. *disquisit. c. 3. q. 4.* *Scaliger exercit. 218.* Et sanè mirum est , tot iam sæ-
culis nullum huiusmodi videri piscem , tam fre-
quenti per omnia vndique maria navigatione . Si
autem vere pisciculus ille , licet tantulus , tantas ta-
men habet vires , immittit sine dubio qualitatem ,
& totâ illam diffundit navi , quæ volantis impe-
tum hebetet , ac proinde motum infringat ; non
enim aliter naus sisti potest .

Ad quintam de magnete multa mirari potius
licet , quàm probabiliter philosophari circa lapi-
dem cognatum ferro , syderum amicum . Mihi sanè
quantum attinet ad actionem in distans , nihil est
neccesse quidquam dicere ; diffunditur enim mag-
netis actio per medium : sed duo tamen lubet bre-
uiter inquirere . Primò quid faciat magnes , seu
quos & quàm mirabiles habeat effectus . Secundò
quomodo illos causet , seu quodnam sit principium
horum effectuum .

Igitur *magnes dictus est* (vt ait Laurentius) *quod*
regio Magnesium huiusmodi lapidibus abundet ; Vnde adue-
hatur . sed alibi tamen eos copiose inueniri perhibent
Authores , præsertim in Illa insula , in Æthiopia
& ima India , ad quas oras naues vbi propius ac-
cesserint , si ligneis non fuerint clauis compactæ ,
euulso vi magnetum ferro dissolui dicuntur . Agunt
de hoc quotidiano miraculo Plinius lib. 20. c. 7. &
lib. 26. c. 16. & 26. Theophrastus lib. de lapidibus ,
Solinus c. 56. Scaliger exercit. 102. Ambrosius
Molanus , & Septalius in problematis , Læuius lib.
de geminis , Cabaus , & alij docti Recentiores .

Primus magnetis effectus est , quod rapitur ab
eo ferrum , & secretis catenulis rapitur , imò & de-
tinetur in aëre suspensum , immotus videlicet lapis
informe metallum ad se vocat , addit alas , & iubet
innate grauitatis obliuisci ; ascendit ferrum , & vo-
lat vbi magnes in sublime tollitur ; stat immotum
absque vlllo fulcro , si suspendatur magnes in aëre .

E e 3 Imò

Præter
effectus.

Torpedo;

Echeneis;

Magnes;

Præter
effectus.

Imò quod est mirabilis, nunquam fortior est magnes ad vincendam ferri gravitatem, quam si armetur ferro; sic enim vim suam auget lapis, & conseruat perennius. Sed hoc tamen habet etiam magnes, quod si aliorum succo, aut hirci sanguine perungatur, tota eius virtus retunditur, neque ferrum deinceps allicit. Si iuxta eum ponatur adamas, desinit ferrum trahere, inquit Augustinus statim citandus. *Adamas* (ait Plinius) *dissidet cum magnete lapide in tantum, ut iuxta positus ferrum non patitur abstrahi; aut si admotus apprehenderit, rapiat atque auferat.*

Secundus magnetis effectus est, quod ferrum ab hoc lapide contractum vires accipit, retinerque longo tractu, ad trahendum aliud ferrum, adeò ut annulorum nonnunquam catena spectetur; quod merito suspicit Augustinus *lib. 21. ciuit. c. 4.* Quis istam vim lapidis non stuperet (inquit) quæ illi non solum inerat, verum etiam per tot suspensa transibat, & inuisibilibus ea vinculis subligabat.

Tertius effectus est, quod acus magnetis attritu extensa, Septentriones semper respiciat; & ubi hinc inde in æquilibrio conquiescit, polum arcticum commonstret, ut videre est in pyxide nautica, & in solariis minutis, quibus ad solem horas exploramus. Sed deprehensum tamen est à nautis, culpitem pyxidibus nauticis quibusdam in locis arcticum recta aspicere, ut in freto, quo ab Æthiopico mari ad mare australe noui orbis penetratur, alibi ad sinistram, alibi ad dextram vergere. Ferunt etiam genus quoddam esse lapidis, qui acum conuertit ad polum antarcticum. Denique vnus idemque magnes vna ex parte vim habet conuertendi pensilem mucronem acus versus septentrionem, ex altera eundem versus polum antarcticum dirigendi.

Vtriusque huius miraculi causam explorare nulli hactenus humano ingenio licuit. Nugantur illi, qui animatum esse magnetem voluere; animatum enim est quod seipsum mouet, non quod mouet aliud. Volunt alij, ferrum à magnete trahi tanquam à fine, non tanquam à causa efficiente; quos confutat merito S. Thomas 7. *Physic. textu 10.* quia causalitatem finis, nulla locorum intercapedo inhibet; ferrum autem non trahitur ad quamlibet distantiam.

Recurrendum itaque statuunt omnes ad sympathiam ferri & magnetis; cognatus enim est lapis durissimus metallo infimissimo, & illud ad se rapit, sicuti etiam succinum, lychnites, & adamas trahunt paleas; chrysocolia trahit aurum, argentum viuum auri particulas, epithimium atram bilem, agaricum pituitam euocat: sic sympathia est quæ ferrum trahit ad magnetem.

Sed difficultas est, quomodo per huiusmodi sympathiam magnes agat in ipsum ferrum; vtrum immissa & diffusa qualitate aliqua occulta moueat ferrum, an verò immissis subtilibus quibusdam corpusculis, veluti hamulis & vncis apprehendat, vinciat, trahat ferri pondus; sic enim noui quidam affirmant Philosophi omnium inimici qualitatum, explicantes omnia per atomos curuas, rotundas, vncatas, cauatas: contra quos plenè dicam tertia disputatione. Nunc certè quædam ad magnetem attinet, manifesti erroris conuincitur nouum hoc figmentum; ferrum enim ubi magnete tactum fuerit, aliud etiam ferrum trahens, nunquid incipit effundere corpuscula, & insectiles substantias. Imò & ferrum eo modo tactum ad septentriones conuertitur: nunquid immissis à polo arctico corpusculis? Si enim non est illa qualitas, quam ferro

impressit magnes, quæro qua vi declinet semper ad hanc cæli partem? Sed contra volatiles atomos postea plenius. Nunc statuendum omnino est, consistere in eo mirabilem hanc magnetis & ferri sympathiam, quod magnes alteret ferrum impressa qualitate motiua solius ferri; non autem aliorum etiam metallorum, qua imbutum ferrum curtat, ascendat, maneat suspensum, vertatur ad Aquilonem, nec quiescat nisi adiuuente polo. De magnetis pluræ & mirabilia dabunt Authores citati.

Ad sextam de homicida probabiliter dici potest, causam cur cadaver hominis occisi præsentem homicida mittat sanguinem, esse antipathiam ortam ex commotione vehementi hominis occisi aduersus eum à quo est mactatus; fieri enim potuit, ut ex ea commotione odij & iræ impressa sit cadaveri qualitas aliqua permanens, quæ præsentem infectore exeat in actum, in quem prius non exibat ex defectu conditionis requisitæ. Alias alij causas meditantur, sed omnium verissimè illi differunt, qui hunc mirabilem effectum soli Deo tribuunt vindici occulti homicidij; quod etiam hinc constat, quia nunquam fluxisse hoc modo legitur sanguis & caduere, nisi cum occultus homicida detegi debuit. Vide Authores citatos secundo Physicorum.

Ad septimam de cithara vnisona, respondeo, sonum illum chordæ vnisonæ in altera cithara causari à motu aëris, quem necesse est moueri sonante cithara. Mouetur autem potius & sonat chorda potius vnisona, quam altera, quia maiorem habet dispositionem ad recipiendum motum, & edendum sonum. Vide Fracastorium *lib. de sympathia, cap. 11.*

Ad octauam de struthiocamelo, respondeo eius oua excludi & foueri à sole ac terra, posita arenâ: attendere verò & oculis desigere naturæ instinctu prudens animal, non ut oculis factum promoueat, sed ut arceat ea quæ nocere possent nascituræ proli.

Obiciuntur secundò alia plures experientia. Prima est galgali, de quo perhibent, si laborantem icteritio morbo fixis oculis aspexerit, trahere ad se morbum, & infirmum liberare.

Secunda, icteri à phalangis Appolis (quas vocant tarandulas) sono citharæ conualescunt moruo phalangio: quæ non potest esse nisi actio in distans.

Tertia, serpentes solis incantatorum vocibus immoti manent.

Quarta in lebere feruet superior aqua, cum in fundo vix adhuc calida sit, ex Aristotele *scilicet 24. problem. 5. & 8.* Ergo agit ignis in distans.

Quinta, ignis distantem inflammatur naphtham, vix calefacto aëre medio.

Sexta ceruus dicitur halitu extrahere serpentes & cauernis.

Septima buffo aperto ore trahit ad se mustellam, quamuis reluctantem & distantem.

Octaua lupus raucedinem visu solo parit.

Nona platani folia vespertiliones abigunt; hyæna vmbra canes obmutescere facit. De herba eryngæ dicitur, quod totum sistit gregem quoties primam capra deuorat.

Decima, sol aurum non in aëre, sed in visceribus terræ producit.

Resp. nihilo efficaciores esse has etiam experientias octo præcedentibus.

Ad primam de galgalo respondeo, tantam esse Galgalis sympathiam aui huius cum iis qui morbo laborant icteritio, ut communicato vtriusque halitu, aui ex icteritio morbum hauriat, icteritius ex aue salutem: quod totum sine vlla peragitur actione in distans.

Ad

Tarandula. Ad secundam de tarandulis, respondeo nullam omnino rationem inueniri aut esse posse, ob quam sanari debeat agrotus mortuo phalangio; & nego id accidere. Quod autem musica sanetur is quem momorderit serpens, ratio esse potest, quia sonus ille latiore faciens agrotum, impedire potest ne illum veneni perimat efficacia. Consuli possunt de his Medici, qui in his animantibus malignam efficaciam veneni frigidi agnouerunt, & rationes cur musica auditus, aut tibiæ sonus agrotis proficit, reddunt.

Incantatio serpentum. Ad tertiam de serpentum incantatione per verba, facilis responsio est: si enim mera verba fuerint, id haud dubie ope mali angeli perficitur; si musica fuerit, possunt sine arte dæmonis cantus suauitate capi serpentes, & incantari.

Lebetis fundum. Ad quartam de fundo lebetis, respondeo ex Aristotele optimè, aquam in summo lebetis esse calidiorem quam in fundo, quia partes inferiores aquæ cum sint subtiliores & leuiore, euolant ad summum lebetis, sicque manent in fundo illæ semper quæ sunt minus calidæ, ac proinde minus leues. Semper ergo in lebetis fundo intensior producit calor, licet partes calefactæ semper insimul statim euolent; unde accidit ut in fundo aqua semper appareat frigidior.

Naphta. Ad quintam de naphta, respondeo posse naphtam inflammari ab igne remoto sine inflammatione intermedij aeris, quia dispositiones habet quamplurimas, quæ non sunt in aëre intermedio, in quo etiam agit ignis, sed multò remissius quam in naphtam remotam, quæ ignem concipit facilius quam aër. Idem dici solet de radice herbæ aproxis, quæ ubi eminus igni fuerit opposita, ignescit, propter secretam cum igne sympathiam.

**Ceruus, buf-
fo, lupus.** Ad sextam, septimam & octauam, respondeo, ceruum & buffonem spiritu emisso attrahere illum serpentes, istum mustellam. Causam cur viso lupo contrahere soleat raucedinem is qui vidit, alij putant esse qualitatem aliquam noxiam à lupo immistam, si prior viderit hominem; alij volunt spiritus humanos à lupinis exsicari, & iis exsiccatis sequi raucedinem; dum enim prior hominem videt, rabie colligit spiritus, quos postea emittit; dum verò videtur prior, fugit, & timore spiritus colligit. Additur præterea, quod luporum pedes obtupestunt si lupi vestigia premat; caudâ lupi è præsepio suspensâ impediri equos ne comedant.

**Platanus &
Hizna.** Ad nonam respondeo abigi canes platani foliis, & eos ad hyænæ umbram obmutescere, quia prodeunt ab iis qualitates noxiæ canibus, quas fugiunt; vel ab iis obruti ac attoniti obmutescunt. In herba eryngie virtus est ad impediendum capræ motum quæ ipsam deuorauerit; illa verò repente manente immota, grex totus eius exemplo sistitur.

Sol. Ad decimam de sole aurum producente, respondeo solis influxus toto propagari aëre; sed in eo tamen aurum non produci ex defectu dispositionum, quas exigit auri generatio.

§. II.

*Virum sit possibilis diuinitus actio in
distant.*

**Affertio af-
firmans.** **D**ico secundò, posse diuinitus agens aliquod creatum agere in passum distans sine actione vlla producta in toto medio. Ita fert communior sententia, cui tamen non subscribunt aliqui Theo-

Alogi, Fafolus, Gillius, Aresius, sequuti (ut vide-
tur) S. Thomam, & eius discipulos.

Ratio autem solum esse potest negatiua, quia scilicet non apparet esse vlla implicantiã contradiccionis in eo, quod agens aliquod aliquid producat in passu distante, nihil omnino producendo in medio; contactus enim passi & agentis conditio solum videtur esse necessaria ut agens agat modo naturali: eam autem conditionem suppleri non posse à Deo, non probauit hactenus vlla ratio, ut patebit ex solutione rationum, quas aduersarij afferunt.

BObiicitur enim primò. Quod non existit, ne diuinitus quidem potest agere: ergo quod non existit hinc, ne diuinitus quidem potest agere hinc; quod enim non existit hinc, perinde se habet ac si esset nullibi.

Resp. negando consequentiam; est enim discrimen inter illud quod nullibi existit, & illud quod non existit hinc; res enim licet non existat hinc, est tamen alibi: quod sufficit ut saltem diuinitus agere possit hinc. Quod autem nullibi existit, non habet fundamentum actionis, quæ est existentia; nam agere supponit esse: sed agere hinc non supponit esse hinc nisi naturaliter; alioqui probaretur eodem argumento, quod necessarius esset contactus suppositi ad agendum; requiritur enim ad agendum existentia ipsius suppositi.

CObiicitur secundò. Sicut ut aliquid agat nunc in hoc tempore, debet necessariò existere in hoc tempore; sic etiam ut agat in hoc loco, debet existere in hoc loco; detur enim disparitas?

Resp. disparitatem esse, quia quod non est in hoc tempore, nullo modo est; idè non habet (ut dixi) fundamentum actionis: quod autem non est in hoc loco, potest tamen esse in alio loco; idè potest agere in hoc loco, licet in eo non sit, quia satis est quod sit alibi.

DObiicitur tertio. Implicat ut aliquis transeat à primo die ad tertium sine transitu per secundum; ergo implicat etiam ut transmittat suam virtutem ad aliquid distans, non transmittendo illam per medium.

Resp. disparitatem etiam esse, quia si aliquis transiret à primo die ad tertium sine transitu per secundum, esset in secundo die, & non esset; tertius enim dies non est nisi præcesserit secundus. Quando autem aliquis agit in distans non transmittendo suam virtutem per medium, nulla sequitur implicantiã.

EObiicitur quartò. Potentia & actus debent esse simul: sed agens & passum se habent ut potentia & actus: ergo agens & passum debent esse simul.

Resp. verum quidem esse, quod potentia & actus intrinsecus debent esse simul, quia vnum est materia, & alterum est forma, quæ non causant sine vnione: potentia verò & actus extrinsecus non necessariò sunt simul localiter; cum enim vnum extrinsecè solum afficiat aliud, non necessariò esse debet ibi ubi est aliud.

Quinta. Obiicitur quintò, immensitatem Dei probari à Scripturis & Patribus ex eo, quod Deus in omnibus locis agat: hæc autem probatio nulla est, si possibilis est actio in distans; ergo illa non est possibilis.

Resp. immensitatem Dei probari ex eo quod operationem habeat infinite perfectam in omnibus locis; non probari ex eo quod operationem in omnibus locis habeat simpliciter. Potentia verò finita potest diuinitus operari in loco ubi non existit.